

rit, legitur cum animadversionibus in *Recensionibus Antiquo-Novis*, A. c. I 3 I 3 c c II. p. 548. conf. p. 458. Hinc Effendii Athei (capitalem poenam Turcis exprobrat, imo & Liscinium a Polonis injuste punitum *th. XIV. sq.* affirmat, conjecturis denuo nitens. Tandem & Spinosam *th. XXXVII. sq.* speciatim excusat, negatque p. 612. illum existentiam Dei disertis verbis inficiasivisse, imo potius eundem *existentiam Dei ejusque attributa suis hypothefibus ut fundamentum supposuisse*, turpissimo errore pronuntiat; quasi ignorasset, Spinosam solo Dei nomine ludere, & nihil Dei agnovisse. Sic homo, gloriam Dei prætexens, in argumento ad eam proxime spectante, ut mitissime loquar, plusquam frigidum se gerit. O cœcum hodegum, *καμηλον καταπίνοντα Matt. XXIII. 24.* Quo consilio Th. Brounius in *Relig. Medici* p. 71. neget Atheos dari, alii viderint.

IV. Addemus & ista, male docere Bælium, quod *thesis hæc, Deum dari, perdifficilis cognitu probatuque sit.* Equidem largimur, illam non esse adeo evidentem expeditamque ac primæ notionis sunt, sed proximum post illas evidentiæ gradum eidem deberi affirmamus. Disputant Scholastici, an sit per se nota? Nec bene agunt, qui cum Bælio *T. IV. Resp. p. 190.* absolute & per omnia negando respondent; quamvis nec omnimodo affirmando responderi possit. Nam, qua est notitiæ acquisitæ, omnino nota est per aliud, qua est innatæ, nota est per se, sed non immediate, quin potius mediantibus notionibus primis. Quas ubi impugnat Atheus, vel argu-

C

menta